



1779,5
DISSRATI^O IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
**IVRE MARITI CIRCA
ALIENATIONEM
DOTIS,**
QVAM

ANNVENTE ILLVSTRI ICTORVM SENATV
IN ALMA ET PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA
ERFVRENSI

P R A E S I D E
FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO,
DN. RVDOLPH. CHRISTOPH.

HENNE, ICTO,

EMINENTISSIMI AC CELSISSSI PRINCIPIS ELECTO-
RIS MOGVNTINI CONSILIARIO REGIMINIS, FACVL-
TATIS IVRIDICAE ET IVDICII PROVINCIALIS ADSES-
SORE, NEC NON CODICIS ET IVRIS FEVDALIS
PROFESSORE ORDINARIO

AD GRADVM DOCTORIS IN VTROQVE IVRE
LEGITIME CONSEQVENDVM,

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI
DIE XXVII. MAI. MDCCCLXXIX.
ERUDITORVM EXAMINI PVBLIGO SVBMITTET.

A V C T O R
CAROLVS EMANVEL BADER,

ERFURTENSIS.

ERFOR DIÆ,
STANNO HENRICI RVDOLPHI NONNII,
ACAD. A TYP.

DISSERTATIO LIVAGAVIIS IARIDIO
IARIN MARINI CIRCA
ALTFEDERATIONEM
DOL

ANNEALET MECIUS IN FESTUM SANCTA
IN TITULI ET PRAEFACTIONI EQUITATI ACADEMIA

DN RADCLIFFE CHRISTOPHER
HENRIE

AD CARDINALIS DUDOTHIS IACOBOSAE IARIN
EX LIBRIS CONVENTUS MONASTERICI MINORUM
SANTO DOMINGO DE SOTO
CATHOLICIS UNIVERSITATIS SUMMITT

EX LIBRIS
MENELAUS RADOLPHI MONACHI
AUTA HABET



CONSPECTVS DISSE- TATIONIS,

PROOEMIUM INSTITVTI RATIONEM
EXPONIT.

§. I. **A**git de variis dotis significatibus.

S. II. Ipsam rem dotalem hic significari, tradit.

§. III. De dominio dotis marito competente, tractat.

A 2

S. IV.



§. IV. Quid circa alienationem dotis jure antiquo obtainuerit,
enarrat.

§. V. Prohibitionem alienationis dotis marito lege Julia in-
troducedam fuisse, demonstrat.

§. VI. Ad quæ prædia pertinuerit lex Julia, docet.

§. VII. Sub alienatione omnes species translati vel neglecti
juris realis comprehendendi, probat.

§. VIII. Hanc prohibitionem effectum dominii tollere,
animadvertis.

§. IX. Quare lex Julia dicatur ambulatoria, investigat.

§. X. Validam esse alienationem, fundo dotali estimato
venditionis causa dato, continet.

§. XI.



§. XI. Validam etiam esse illam, marito justo titulo fundum
dotalem finito matrimonio, lucrante.

§. XII. Nec minus si alienatio sit necessaria.

§. XIII. Ut & si consensu illius facta sit.

§. XIV. An valeat alienatio muliere consentiente? inda-
gat.

§. XV. Quid juris sit, circa alienationem jure hodierno?
monet.

§. XVI. Quid juris sit, jure Canonico? disquirit.

§. XVII. Requisita, ut alienatio jure Canonico valida sit,
complectitur.

§. XVIII. Juris Saxonici faneita hac de re, manifestat.

A 3

§. XIX.



§. XIX. Quid juris sit circa alienationem rerum mobilium,

observat.

§. XX. Quid juris sit circa nomen in dotem datum, signi-

ficat.

§. XXI. An marito parata pecunia in dotem data, libera de

ea competit, dispositio, animadvertisit:



DISSE



DISSERTATIONIS

DE

IVRE MARITI CIRCA ALIENATIONEM DOTIS

PROOEMIVM.



Varia quidem sunt jura, quæ marito circa dotem competunt; unum autem tantum, illud nempe quod de alienatione agit, scopo meo inservire, ex titulo appareret. Scio equidem, hancce materiam in omnibus fere commentariis ad digesta in titulo de fundo dotali illustrari; quum autem in

in quolibet eorum unus vel alter casus tantum speciatim tractetur, haud inutile credidi fore, si hancce materiam ex professo tractarem, & exceptiones a regula a se invicem distinguerem, ut eo modo appareat, in quibus casibus marito libera facultas alienandi competit, nec ne. Quidam ICTi, præcipue Belgici HVBER & GROENEWEGEN, usum hujus argumenti quidem plane in dubium vocarunt, quorum argumentis tamen satisfecit Illust. STRYCKIVS in usu moderno *tit. de fundo dotali §. 2.*

§. I.

Dos in jure nostro varios significatus quidem habet, sed hic de eo, ubi ad nuptias resertur, ago ubi potissimum triplici modo sumitur, & quidem 1) pro promissione dotis, titulo vel causa, sic mutus, surdus, cæcus, dotis nomine obligari dicitur, & justissimus titulus usucaptionis habetur, qui est pro dote. *) 2) Denotat ipsam rem dotalem sive in dotem datam. Germanice Brautschatz, Mitgift. **) 3) Denique ipsum jus in re dotali constitutum. ***)

*) L. 73. pr. de jure dot. §. 40. in fine I. de rer. divis. tot. titulus P. pro dote.

(**) L.

**) L. 41. D. soluto matrimonio,

***) tot. titl. D. & C. de jure dotium.

Quum hic de alienatione dotis sermo sit, statim apparet; dotem hic in secundo significati, nempe pro ipsa re dotali, sumi, & in eo definiri potest, quod sit substantia marito ad sustinenda matrimonii onera tradita. Ex dictis autem constat, quod dos matrimonii accessorium sit, & bene concludi possit, ubi nullum matrimonium, ibi nulla dos, & ubi matrimonium consistere nequit, nec dos intelligitur *); minime autem vice versa quum etiam matrimonium sine dote consistere possit, hinc nulla dote a patre promissa eam gener. soluto matrimonio etiam petere nequit.

*) L. 3. D. de jure dotium.

§. III.

Matrimonio cum dote constituto, haec mariti fit, & dominium ejus in eum transfertur, nam causa dotis est habilis ad hoc transferendum. *) Dominium dotis non solum leges marito adjudicant, **) sed patet etiam ex ipsa prohibi-

B tione,



tione, vi eius ei dotem alienare haud licet; si enim non dominus esset, jure communii alienandi jus haud habet, & speciali prohibitione haud indiget. Vxor autem etiam domina dotis est, nam habet rei vindicationem, quae tantum domino competit, *** nec obstat huic duplici dominio regula: duorum in solidum dominium vel possessionem esse non posse. a) Iti enim intuitu dotis duplex statuunt dominium, civile, quod marito, & naturale, quod uxori competit, & hoc etiam in legibus fundatum est, dicitur enim: dotem naturaliter in dominio uxoris permanere, & sola legum subtilitate in maritum transire. b) Dominium uxoris durante matrimonio quiescit, eo autem soluto, quin etiam eo durante, si maritus ad inopiam vergit, statim reviviscit, ita ut uxor fundum alienatum a quoconque possessore vindicare possit; licet maritus ei in vindicatione adstire nequeat, nec pretium restituit, nisi tantum, quantum in ejus rem fuit versum; nec ad reliqua mariti bona allegari potest, licet sint sufficientia c); nec ei denique exceptio præscriptio-nis obstat, quum dominium ejus durahte matrimonio quie- scat, & non valenti agere nulla currat præscriptio. Ex di- cits nunc apparet, marito & uxori dominium non in soli- dum, sed diversa potius ratione competere, & proinde alle- gatam regulam plane non obstat,

*) §.



II

*) §. 40. I. de rerum divisione.

**) pr. I. quib. alien. licet vel non.

***) L. 3. C. de rei vindicatione.

a) L. 5. §. final. D. Commodati vel contra.

b) L. 30. C. de jure dotium.

c) Illust. Leyser in med. ad D. spec. 311. med. 12.

§. IV.¹

Quum maritus dominus sit, (§. antec.) ei etiam omnia
jura domini competere debent, quod etiam jure antiquo
in alienatione locum habuit, ubi marito libera potestas alien-
andi res dotales competit, ita ut eam oppignorare, do-
nare, legare, & quocunque alio modo in alterum transfer-
re possit. Quum autem hoc factō mulieres sēpe indotatae
redderentur, reipublicae autem intersit, mulieres dotes sal-
vas habere, *) & divortia apud Romanos admodum fre-
quentia erant, quemadmodum ratio prohibitionis donatio-
nis inter virum & uxorem docet, **) hæc libera potestas
alienandi certis limitibus est circumscripta, de quibus in
sequentibus dispiciamus.

B 2

*) L.



*) L. 2. D. de jure dotium.

**) L. 2. D. de donation. inter vir. & uxorem,

§. V.

Lege Julia de adulteriis primo statutum est, ne maritus fundum dotalem italicum invita muliere alienet. Di-versa erant capita legis Juliæ, unum inter hæc dicebatur de fundo dotali. *) Hæc lex non tantum ad maritum pertinet, sed etiam ad omnes, qui in locum ejus succedunt, si-ve titulo universali, sive particulari; **) quin etiam ad sponsum ***, qui res sibi ex causa dotis traditas nondum matrimonio fecuto vult alienare. Ratio hujus extensivæ interpretationis est sine dubio favor dotis, quippe qui per-magnus est, quemadmodum ex multis aliis prærogativis, quæ passim in jure nostro occurrent, ut e. g. actio pro do-te repetenda sit bonæ fidei, a) actio ex stipulatu mulieri indistincte competit, & præsumatur stipulationem fecisse, b) mulier pro dote intercedens Senatus-Conf. Vellejano & Au-thentica, si qua mulier, uti nequeat, c) &c. intelligi potest.

*) L. 1. ff. de fundo dotali.

L. 1. §. 1, L. 2. D. eodem,

***) L.



***) L. 4. D. eodem.

a) §. 29. I. de actionibus.

b) L. unica §. 6. & 13. C. de rei uxor. actione.

c) L. 12. & ult. C. ad Senatus-C. Vellej.

§. VI.

Licet lex Julia plenissime interpretanda sit, tamen ad prædia Juris Italici, i. e. quæ sola erant res mancipi, tantum pertinuit, & alienatio etiam subsistit, si consentiente muliere fiat. Quum autem eo modo nihil de prædiis provincialibus dispositum erat, & mulieres facile ad consensum adduci poterant, IVSTINIANVS motus est, ut hancce prohibitionem non solum ad omnes res immobiles & sic etiam ad prædia provincialia extenderet, *) sed etiam statueret, ut neque obligatio neque alienatio fundi dotalis nec consentientibus mulieribus subsisteret, addita ratione, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiae earum converteratur. **) Licet enim maritus ejusve heredes soluto matrimonio de dotis restitutione, quin etiam de ejus deterioratione, teneantur, melius tamen est, uxorem rem dotalem salvam habere, quam in personam agere. ***)



*) L. unic. §. 15. C. de rei uxori. actione, pr. I. quib. alienare
licet vel non.

**) pr. I. quib. alien. licet vel non,

***) L. §. D. de suspectis tutor. L. 25. D. de regulis juris.

§. VII.

Alienatione fundi dotalis interdicta omnes ii casus etiam prohibiti censentur, quibus quædam species juris realis negligitur, vel in alterum transfertur, quum alienatio in sensu latiori sumta omnes eos casus sub se comprehendat *). Impedit igitur non solum translationem dominii, sed etiam remissionem servitutis dotali liprædio debitæ, & impositionem nova servitutis**) oppignorationem, quid, quod hæc artius prohibita censetur, alienatione strictè sumta, quum jam ante constitutionem IVSTINIANI, nequidem volente muliere, subsisteret ***). Prohibita etiam est denique sub alienatione præscriptio fundi dotalis, ita ut, marito usucaptionem ejus patienti imputetur, quum eam impedire neglexerit, quod tamen facere potuisset; exceptio tamen est, si præscriptio longi temporis, antequam fundus in dotem constitueretur jam incepta sit, & ad eam absolvendam paucissimi dies tantum superfuerint, tunc nihil marito imputari potest,

* * *

15

potest, quum ex lapsu modici temporis negligentia haud
præsumatur. a)

*) L. 28. D. de verbis significat. L. ult. de reb. alienandis.

**) L. 5. D. de fundo dotali.

***) pr. I. quib. alien. licet vel non.

a) L. 16. D. de fundo dotali & Gothofredus in not. ad dictam
Legem.

§. VIII.

Hæc prohibitio de non alienando fundo dotali quam
maxime igitur, liberam facultatem mariti circa res dotaes
restringit, quum præcipuum effectum dominii tollat. Li-
cet autem juris naturalis sit, ut dominus de re sua libere
disponere possit, & hoc etiam jus civile agnoscat, ibi enim
dicitur: *nihil tam conveniens esse naturali aequitati, quam vo-
luntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam
haberi*) & *quemcumque esse rei sua moderatorum & arbitrum.*")
Princeps tamen hunc effectum ex supereminenti dominio,
quod ipsi in bona civium competit, quoties salus reipubli-
cae exigit, tollere potest, uti passim fieri etiam videmus, e. g.
ut in penuria frumenti venditio extra territoriorum prohibe-
tur; hinc etiam quidam Icti in definitione dominii, di-
centes,



centes, quod sit facultas de re corporali libere disponendi eamque vindicandi, addunt verba: *nisi lex vel conventio obflet.* ***)

*) §. 40. I. de rerum divisione.

**) L. 21. C. Mandati.

***) Heineccii institut. §. 335. Huber præf. ad I. titl. de rer. divis. §. 13.

§. IX.

Lex Julia autem in Lege 10. D. de fundo dotali dicitur ambulatoria, licet hæc lex ad Leg. antecedentem se referat, & intuitu hujus ambulatoriam esse, dicat, puto tamen ex eo etiam ita dici posse, quia varii casus dantur, ubi marito liberrima alienandi facultas competit, quos seorsim investigabimus. Huc autem primo pertinet, si res æstumata venditionis causa in dotem tradita sunt, tunc enim res dotales non in specie restituenda sunt, sed sufficit, si pretium illarum restituatur, quum maritus non debitor speciei sit; *) nisi mulier electionem sibi reservaverit, an rem an pretium velit repetere, tunc enim maritus illam alienare nequit, licet prædia æstimata sint. **) Idem etiam est, si æstimationis causationis causa facta censetur, ut finito matrimonio meliorationes

tiones eo melius definiri possint, nihilominus autem in spe-
cie fundus restituendus est.

*) L. 5. & 10. C. de jure dotium.

**) L. 1. C. de fundo dotali.

§. X.

Si autem aestumatio indistincte facta sit, ita, ut non
constat, an venditionis, an taxationis gratia, quidnam in du-
bio sit presumendum, queritur? Ex Lege 5. & 10. C. de
jure dotium colligi quidem potest, quasi venditionis causam
semper subesse, quoties aestumatio simpliciter facta est, inde
etiam *Illust. HOPPIUS* in commentario ad I. titl. quibus alien-
are licet, vel non pag. 339. sifit regulam; in quounque
actu agitur de dominio transferendo, ibi aestumatio rei ad-
jecta facit venditionem i. e. dominium & jus alienandi
transfert; hæc regula in dotis datione locum habere co-
magis videtur, quum sit causa habilis ad transferendum do-
minium. Quum autem animus transferendi dominium
haud facile presumatur, semper aestumatio taxationis gratia
censenda est, si alia conjectura capi potest, licet expressis
verbis in conventione haud contenta sit. *) Si mulier igi-
tur sibi electionem reservaverit, an rem an pretium velit

C

repe-

repetere, semper taxationis causa astumatio subest. Nec nocet uxori astumatio venditionis causa, si illa infra justum pretium est.

*) Illustr. Leyser sp. 311. m. 10. ubi res præjudicio confirmata est.

**) Illustr. Leyser ibid. m. 11. etiam præjudicium allegat.

S. XI.

Valida etiam est alienatio fundi dotalis, 2) si maritus eum finito matrimonio vi testamenti, statuti, pacti, donationis mortis causa vel alio modo incratur; *) nam marito vindicare volenti, & proprium suum factum impugnanti, obstat exceptio rei venditæ ac traditæ, quippequa eo melius ei opponi potest, quum de evictione teneatur, ***) qui autem de evictione tenetur, eundem agentem multo magis repellit exceptio. Nec obstat regula juris: *Quod initio vitiōsum est, non potest trāctū temporis convalescere;* ***) nam distinguendum est inter id, quod ab initio absolute & simpliciter invalidum est, & id, quod secundum quid vitiōsum est, illud nullo tempore & nullo facto, bene vero hoc convalescere potest; & sic etiam hic seres habet, nam intuitu mariti statim ab initio perfecta obligatio adest, & respectu

spectu mulieris tantum inefficax est; obligatio mariti tamdiu durat, usque dum proprium ejus jus resolvatur, hoc autem casu non existente & jure suo ex post facto potius confirmato, nunquam etiam ab obligatione sua recedere potest.

*) L. 17. D. de fundo dotali.

**) L. 17. D. de evictionibus.

***) L. 29. D. de reg. juris.

§. XII.

Alienatio etiam permissa est, 3) si est necessaria, utpote ob urgens aes alienum mulieris, quod aliter ac distractione rerum dotalium extingui nequit, certe consentiente muliere alienatio fieri potest, minime autem ob aes alienum mariti, quippe quod de suo dissolvere debet *). Sic etiam, si prædium commune in dotem datum sit, maritus provocationem ad divisionem declinare nequit, licet ipse provocare nequeat. ***) Ad necessarias alienationes referunt quoque, si maritus damni infecti nomine non cavit, & vicinus in possessionem missus sit, & deinde ex secundo decreto dominium in eum translatum est. ***) Hoc quidem paradoxon videtur, quum alias uxores ob maritorum cul-

pam inquietari nequeant, a) sed licet hæc dispositio vicinum indistincte pro domino habeat, eam tamen intelligentiam esse puto cum clausula, ut fundum dotalem cum sua causa possideat, & sic etiam alienare nequeat, dissoluto enim matrimonio prædium durat dotale, quum hoc etiam in fisco, dote ad eum perveniente, locum habeat, quamvis hic semper idoneus successor sit, & solvendo.

*) tot. tit. C. ne uxor pro marito,

**) L. 2. C. de fundo dotali.

***) L. 1. pr. D. de fundo dotali.

a) L. 2. C. ne uxor pro marito.

b) L. 2. §. 1. D. de fundo dotali.

§. XIII.

Mulier etiam alienationem finito matrimonio impugnare nequit 4) si consensu ejus facta est, & in ejus utilitatem vergit. *Sicce enim dicitur in Lege 26. de jure dotium: constante matrimonio permutari dotem posse dicimus, si hoc mulieri utile sit, ut autem consensus mulieris accedere debeat, apparet ex verbis finalibus Legis antecedentis, ubi dicitur: quia & permutatio dotium conventione fieri potest: permutatio autem species alienationis est.* Accedit etiam, ut intercessio mulieris pro marito, licet nullatenus permissa sit, tamen

tamen valida sit, si manifeste probetur, quod pecuniae in propriam ipsius mulieris utilitatem expensa sint. *) Argumentum etiam hic ab intercessione ad consensum in alienationem duci potest, quum intercessio uti oppignoratio arcuus alienatione sit prohibita, quia mulieres facilius ad illam quam ad hanc adduci possunt.

*) Authent, si qua mulier C. ad Senatus-C. Vellej.

S. XIV.

Alienationem fundi dotalis nequidem consentiente muliere subsistere, supra in §. 6. dixi, an autem consensus post biennium repetitus efficiat, ut valida sit, non una eademque sententia est; sunt qui affirmant & sunt, qui negant. Argumenta affirmantium ex *Lege 22. C. ad Senatus Conf. Vellej.* & *Novella 61. ep. 1. §. 3.* desumpta sunt. Quid autem alleg. legem 22. C. attinet, haec de alio casu, nempe intercessione mulierum pro extraneo facta & post biennium repetita loquitur, nec ea, quæ pro marito facta est, valida constituitur, et si multoties repetita, nisi in utilitatem mulieris vergat. (§. anteced. dissert.) *) In Novella 61. ep. 3. §. 1. autem de donatione propter nuptias sermo est, haec autem

C 3

non



non tam solum favorem, ut dos, habet, quam in hac mulier de domino vitando, in illa autem de lucro captando certet, & hinc ab una ad alteram concludi nequeat, & hisce argumentis moti alii superiorem quæstionem negarunt. Alii denique cum certa limitatione, si nempe alia bona, ex quibus mulieri ratione dotis satisfieri possit, supersint, validam alienationem ob consensum post biennium repetitum declarant. **) Huic sententiae accedere haud dubito, non solum ob ea, quæ *Illustr. LEYSER* loco alleg. profert, & præcipue ob *ibi* alleg. Legem 3. C. de rei vindicatione, sed potissimum ob verba finalia *Novella* 61. ep. 1. §. 3. ubi dicitur: *& multo potius hæc in doce valebunt, si quid doris aur alienetur aut supponatur.*

*) Auhent, si qua mulier C. ad Senatus C. Vellej.

**) *Illustr. Leyser* Ip. 311. med. 3. Hellfeld in Digestis §. 1252.

Expositis in §§. antecedentibus casibus ubi jus Romanum alienationem fundi dotalis permittit, quidam adhuc supersunt, non quidem de jure Romano, est tamen jure

hodier-

hodierno, quorsum spectat, si communio bonorum inter conjuges obtinet, nam tunc omnis differentia inter bona dotalia & paraphernalia cessat, & maritus in omnibus bonis uxoris æquale jus habet, quemadmodum etiam ea in bonis mariti, quæ tamen communio non in universa Germania observantia est. Quum autem in communione neutri absque consensu alterius aliquid facere liceat, & melior sit ratio prohibentis, sequitur, ut uxor in alienationem consentire debeat, qui consensus tamen etiam ex ejus diuturno silentio præsumitur, *) nam qui tacet, quum loqui potuisset, & debuisset, consentire videtur.

*) Illustr. Stryck in usu moderno D. uir, de fundo dotali
anno 1593, p. 177. v. libris oīd. n. Bellarum omnibus ob servitib. in
est seruare uirum, et id hospitale, cum huiusmodi accommodacione
v. sibi. v. dico. iudic.

S. XVI.

Jure Canonico valide etiam fundus dotalis, alienatur, si uxor consensum suum juramento corroboravit, quæ constitutio in cap. 28. X. de jurejurando contenta est. Statuit autem hoc jus Canonicum ex regula: *omnia juramenta, quæ salva salute aeterna servari possunt, sunt servanda: quæ in allegato cap. 28. expressa est, verdis finalibus: nec observata*

*vergant in dispendium salutis æternæ Dm. IACOBVS FRIEDER.
LUDOVICI *) statuit quidem juramentum ab uxore de aliena-
tione dotis præstatum, esse invalidum; argumentum in me-
dium proferens, pr. I. quib. alien. licet vel non esse legem
mere prohibitivam per verba: ut neque consequentibus mu-
lieribus procedat; cui renunciari nequeat, & hinc etiam ju-
ramentum super hac renunciatione, deficiente obligatione
principali esse invalidum. Licet autem argumentum de ju-
re civili recte se habeat, hoc tamen per alleg. caput 28.
mutatum, & jus Canonicum in causis juramentorum juri
civili præferri, neminem fugit, quemadmodum etiam pra-
xis id agnoscit.*

*) in dissertat. de genuino intellectu brocardici vulgaris, omne juramentum servandum esse, quod salva salute aeterna servi possit, Halæ 1705.

XVII.

Allegatum cap. 28. "duo puncta autem intuitu juramenti adhuc requirit: 1) ut juramentum libere i. e. sine vi, do-
lo, & metu sit præstitum; si enim vi vel dolo vel metu ex-
tortum est, nec de jure civili nec de jure Canonico vali-
dum

dum est. Juramentum enim novam obligationem haud inducit, sed tantum accedit obligationi principali & eam firmorem reddit, hac autem nulla, juramentum de hac præstitum etiam est nullum, quamvis de jure canonico hoc casu relaxatio ejus requiratur. *) Secundo in allegato capite requiritur, ut hujusmodi juramentum in alterius præjudicium haud redundet; quilibet enim quidem proprio suo favori renunciare potest, minime autem juri tertii cuiusdam. Si igitur tertius jus quoddam quæstitum in dotem haberet, nec jurata de ea mulieris renunciatio ei obesse potest.

*) cap. 2. & 8. X. de jurejurando;

S. XVIII.

De jure Saxonico denique notandum, quod et si maritus legitimus curator uxoris suæ sit, potestas tamen fundum dotalem alienandi ex hac curatela minime fluat, sed potius,



specialem curatorem adhibendum esse, si uxor in alienationem fundi dotalis consentire velit.^{*)} Hoc curatore cum uxore, prævia cause cognitione & decreto magi steratus de alienando interveniente, consentiente, maritus valide res dotales alienat, nec impugnari potest, licet nullum juramentum accesserit.^{**)}

^{*)} Carpzov. P. 2. Const. 15. def. 21.

^{**) Struv. Syntag. I. C, Exerc. 30. th. 22.}

§. XIX.

Hactenus de eo casu, si res immobiles in dotem datæ sunt, quæstio ventilata est. Quum autem etiam res mobiles, nomina & parata pecunia in dotem dari solent, ad quæ Lex Julia haud pertinet, superest adhuc, ut dispiciamus, quidnam in his juris sit. Quod autem res mobiles attinet, marito potestas alienandi tam ultima voluntate, quam inter vivos, nullo respectu habito, an servando ser-

vari

vari possint, nec ne, plane denegari nequit. *) Dicitur enim in legibus maritum servis dotalibus testamento tam directe quam fideicommissarie libertatem dare posse, nec revocari deberi, quum ei hoc & inter vivos permisum sit; manumissio autem insignis species alienationis est, præser-tim, quum servi res mancipi essent. Requiritur autem, ut maritus solvendo sit, alias alienare nequit, licet alios credi-tores haud habeat; dos enim jam constante matrimonio debetur, simulac constat, mariti facultates ad præstandam do-tem haud amplius sufficere. **)

*) L. 3. C. de jure dotium L. 3. §. 2. D. de suis & legit. he-red. L. 21. D. de manumission.

**) L. 24. pr. D. soluto matrimonio L. 29. C. de jure da-tium.

Sin nomen in dotem datum sit, dispiciendum est, an pacto confectum sit, ut perpetuum maneret, & finito matrimonio in specie restituantur, nec ne. Priori casu maritus juri alienandi renunciavit, ei igitur non amplius competit. Posteriori autem casu omni jure sicuti rem mobilem alienare potest, illud etiam cedere, debitum exigere, & etiam in solutum dare potest. Nomen quidem per se tanquam res incorporalis, nec mobilis nec immobilis est, sed rebus mobilibus aut immobilibus æquiparatur, prout tendit vel ad hoc vel ad illud consequendum, quum autem plerumque ad rem mobilem consequendam tendat, etiam jure mobilium, quippe quæ maritus alienare potest, astimatur. Accedit etiam, quod finito matrimonio statim constet, quid, quale, quantum maritus debeat & non requiratur, ut in specie restituat, sed tantum rem ejusdem quantitatis & qualitatis. Hoc autem requiri ut maritus solvendo sit, uti in §. anteced. per se patet.

g. XXI.

Sin denique parata pecunia sit in dotem data, hæc non aliter marito usum præstare potest, nisi in suos usus convertat, & igitur pro lubitu de ea disponere potest; si autem hac pecunia dotali bona immobilia comparet, an hæc fiant dotalia, quæritur? Hæcce quæstio in variis casibus usum præstat, & ab hujus decisione, aliorum decisio dependet, e. g. si fiunt dotalia, etiam maritus rursus alienare nequit, & alii casus etiam, qui apud illustr. LEYSER sp. 304. med. 4. & 5. inveniri possunt, huc pertinent. Licet variii textus in nostro jure hanc quæstionem affirmare videantur, *) tamen illorum sententia, qui illam negant, mihi probabilius videtur ob Leg. 12. C. de jure dотium, ubi dicitur: *ex pecunia dotali fundus a marito tuo tam paratus, tibi non quaritur, cum neque maritus uxori actionem empti possit acquirere: at dotis tantum actio competit;* neque actio personalis de restituenda dote, in subsidium tamen actio realis utilis ei denegari nequit, si nempe ipsi ex aliis bonis satisficeri nequeat, quemadmodum Doctores

D 3

Juris



Juris ex L. 55. D. de donat. int. vir. & uxorem colligunt. **)

**) L. 26. 7x D. de jure dotum. L. 54. D. cod.

**) Huber. ad Dig. titl. de rei vindicatione num. 6.



X 2310747


ULB Halle
007 469 942

3



V018

Farbkarte #13



B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1779,5
O INAVGVRALIS IVRIDICA
DE
**MARITI CIRCA
ENATIONEM
DOTIS,**
QVAM
ANTE ILLVSTRI ICTORVM SENATV
ERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA
ERFVRENSI
P R A E S I D E
LTATIS IVRIDICAE DECANO,
**OLPH. CHRISTOPH.
HENNE,** ICTO,
AC CELSISIMI PRINCIPIS ELECTO-
I CONSILIARIO REGIMINIS, FACVL-
AE ET IVDIGII PROVINCIALIS ADSES-
NON CODICIS ET IVRIS FEVDALIS
ROFESSORE ORDINARIO
DOCTORIS IN VTROQVE IVRE
TIME CONSEQUENDVM,
IO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI
XVII MAI MDCCLXXIX.
VM EXAMINI PUBLICO SVBMITTET.
A V C T O R
VS EMANVEL BADER,
ERFVRTENSIS.
ERFORDIAE,
NO HENRICI RUDOLPHI NONNII,
ACAD. A TYP.

24